Cracoviensis Studiorum Univ. Jagell.
Promotiones Ordinis Philosoph.
1724 die 22 Aprilis.

Nechrebecki Andr. Josephi: Anchora prodromae laureati honoris navis ad promontorium bonae spei — sistens.

Poezya 3011.

kat. komp.
BVC
C.R. BIBLIOTHECA VNIVERSITATIS IAGELL. CRACOVIENSIS
3574
III. Mag. St. Dr.
P

ANCHORA
PRODROMAS LAUREATI HONORIS NAVES,
Ad Promontorium bonæ ſpei;
dum
X. VV. DD. PRIMÆ LAUREÆ CANDIDATI,
In Alma Vniverſitate Cracovienſi,
PER
CLARISSIMVM & EXCELLENTISSIMVM
D.M. STANISLAUM FILIPOWITZ,
Philoſophiæ DOCTOREM, ejuſdemq; Regium & Matheſeôs in Collegio Majori Ordinarium PROFESSOREM, Strzałkovianum Juratumq; Gèômetram.
Senatûs Academici, & magnorũ Hoſpitũ
Aſpirantibus gratiarum favonijs,
In Artibus Liberalibus & Philoſophia Baccalaurei,
Ritu Solennî renuntiarentur,
SISTENS.
AB
ANDREA JOSEPHO NECHREBECKI,
ejuſdem Laureæ Candidato
GRATVLATORIIS PLAVSIBVS
ANNEXA.
Annô quô ANCHORA Salutis Noſtræ, portum humanitatis attigit.
M.D.CC.XXIV. die verô 22. Aprilis.

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.

In Gentilitium Stemma, PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI.



Eſt cur laurigero Naves tenet ANCHORA portu,
Hanc CLAVUS Cæli, CRUX magis ipſa tenet,
Eijciet quo ſe poſthac in littore Vate
Hâc CRUCE jam Sacrum Culmen honoris erit.

3574 III

PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. HYACINTHO ŁOPACKI,

M. D. ARCHIPRESBYTERO INFULATO CRACOVIENSI,

Domino àc Benefactori Ampliſſimo.

SOlvimus à littore Philoſophicam Claſſem noſtram, tot ſalſas ſudore emenſi undas, tunc maximè felices pro Laurea Jaſones; ubi Tua nos Gentilitia tenuerit ANCHORA- PERILLUSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE. Equidem, in hac ſpes naufraga ſiſtit, & triumphalia cogitat, ut enim una ab illa Salus, ita à Ligno palmaris nobis venit gloria. Porrò juvat CRUX Tua Palladis Mnæſteos, quæ; & virtutis, & ſapientiæ Tuæ Antenna, tantùm hos ultra omnem erigit procellam, quantùm ipſa in animo Tuo triumphat. Cumulat ſe Tibi ingentium virtutum frequentia; & remos felici Minervæ remigio commodat, ut nihil jam quod Cæſaris fortunæ invideat, relinquas. HYACINTHUM te florem, ſive Gemmam

A mavis

BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS

mavis: utrumq; magnò æstimamus: nam si ille virentibus potior laureis; hæc ijs, grande decus & pretium. Itaq; nomen in Omen abit: quàm quod virtutum conchilia, & Erythreos magni animi Uniones sapit. Tu verò ingens omnium Cimmeliorũ decus, quæ alibi commensuratâ quantitate novimus, supra artis colores Palladi nostræ hilaria efficis, quibus Flore Tuo dum ad laureas venisti, ita flagrasse videretur; ut nunquam maxima Thessaliæ amænitas. Dedisti Te inquam virentibus Sertis Coronam, & Doctarum pretio frontium pretiosum Monile, quale dum supra omnes ascendisset valores, Roma æstimavit. Vidit hæc concentratas in Te multorum dotes, vidit illa virtutis studia, ex quibus facilè noscereris, qualis qvantusvè futurus sis. Applaudebat tunc Caput Orbîs Indoli Tuæ & felicitati Nostræ, dum in Te etiam sub Jove frigido, benè excoctas ingeniorum medullas cognovisset. Non hæc pagella capiet, operosum illud in studio Æsculapij septennium, non eliquatos in Archihospitali Romano sudore labores; quem fronte ipse ardentissimus proximi expresserat amor. Jam medullam & succum Sapientiæ indagante Naturam collegeras animo: jam Patriæ simul, Tuæq; nihil Orbe illo debueras gloriæ: cum magna Nominis prævolante Fama, per longa Te expectabamus tædia. Implêsti tunc, amplissima Tui desideria, quibus illa LUBIENIJ CAPITIS ingeniorum æstimatrix Cogitatio, maxima de Te conceperat. Traxit Te inquam à longe ingentî studiô, cùm jam Cordi PRINCIPIS præsentissim9 esses; & quæ ejus virtuti Tuæ voluerat destinatio, Reduci magnîs toties expressit Amoribûs. Tanti excelsas Dotes Tuas illa Præsulum Gemma æstimavit: tanti nunc SZANIAVIUS appendit AGNUS. Sacris Te PRÆSUL Pientissimus admovit Altaribus,

ut

ut integerrimæ vitæ merita, ad Aram Virtutum, aut Hanc in Te potiùs conſecraret. Novit quippe Illam mentem Tuam, in qua ſe Virtus pingit, ut perſonata incedat; Cui illud à Te accedit maximum, quod omnibus placet. Non hoc Orbem & Urbem hanc celavit, PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMUS DOMINICUS LOCHMAN CANONICUS Crac: qui Archipresbyterali Eccleſiæ Suæ, & Paſtoralibus curis, cùm optima in Succeſſore vellet, nihil Tê meliùs vidit; Infulam quam tot Annorum implevit Meritîs, transfuſo in bonam mentem Spiritu, Tuæ conceſſit Fronti: Et certè felici nimiùm ſucceſſu; ſic enim in Ejus ſucceſſiſti decora, ut operum quoq; Magnificentiâ imiteris. Hinc metire Magnitudinē Tuam, quàm ultra creſcere poſſit, cuius Honoris Tyrocinia Pedum & Infula. Longum illud aliorū ſtadium, Tuus Gloriæ paſſus: ſed ſic ſolet ingentibûs magna initiari Virtus. Dum verò Tantæ Meritorum Sublimitati, intentus hæreo: in Ampliſſima Domûs Tuæ Decora ire trepido: non enim hujus pagellæ negotium eſt, ut Te ex integro ferat. Quidquid Coronatrix hæc Regum Metropolis ad ingentem exactum gloriam, quidquid ad pretium nominis compoſitum ſæculorum æſtimationi ſervat; totum vetuſtiſſimô Avorum Tuorum aluit ſangvine. Quieſcant Mauſoleis ſuis, digniſſimæ Cælô Animæ: Majores Tui tractu maximo in Te derivati, cùm animi Tui magnitudinem, poſſederint. HYACINTHUS PARENS Tuus Æſtimatiſſimus, Magnus olim Conſularis Senatûs hujus Pater Senior, Vir Civium & boni publici amore incomparabilis; cùm ingentes Tibi inſpiraſſet Dotes, Nomen etiam dedit; ut Orbi cōſtaret conſultū in Te vitæ ejus ad poſteros & gloriæ. Quis verò ſe in illam Domûs Tuæ efferet amplitudinem? cujus apex; qui & omnis eruditionis Cel-

 ſitudo

ſitudo MARTINUS WINKLER, gratiſſimus Avunculus Tuus, Nobiliſſima hic Vavellanæ Coronæ Gemma, tantùm ſupra omne Panegyris aſcendit pretiū, quantùm Vir Ille, aureo ſupra Tullios ore. Palam eſt quam oculô mentis perſpicaciſſimô, quæ Tota in Eo verè Lyncea fuerat, arcanum in ſe Divinum propè intelligeret. Venit hic in partem gloriæ Tuæ ANTONIUS LOPACKI Frater Tuus; & magnos laudis colligit ſplendores, quos ſuâ modeſtiâ tegit. Prudentiſſimus Urbis Æſculapius, ſic inclyto ejus Senatui præ eſt, ut virtutis & ſapientiæ pharmaco, imponat frena veneno, & toxicum excludat. Illud facit, emedullata Domûs Tuæ gloria, ANDREAS SZAFALKOWICZ, in quo Gentilitia Craciæ Porta, alteram ingeniorum præſentat Aquilam. Orbis eſt admiratio, & ejus mentis amplitudo, Apollinis in Illo poſſe divinari prudentiam; æquè Themidis triumphare oracula, & eloquentiam Tullij vivere. Iret in ampliora Tui elogia Orator Calamus; ni innatæ modeſtiæ Tuæ injuriosus; foret. Confundi Te putas, quoties vulgaris laudibûs: cùm nihil non ad ingentem gloriam, nihil non ad encomia egeris. Parcimus itaq; magnæ virtuti Tuæ, ne obſeqvium & obligati pectoris debitum offenſioni habeas. Illas tantùm Patrocinij gratias, quæ in Te effuſa in omnes affabilitate vivunt, auſpicatiſſimos Philoſophicæ Claſſi explica Favonios. Triumphabit Illa ſecurior, ſub victorioſa CRVCE Tua; ſtabit inconcuſſa Laureato portu, contra fatorum acerbitatem, in virtute Anchoræ; quæ cum noſtra teneat deſideria, Te; jacta in altum ad Sacras fortunæ Inſulas, & Promontorium Honorum efferat. Ita precatur:

PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMÆ
DOMINATIONIS VESTRÆ.

Obligatiſſimus Cliens
Author Operis.

AUSPICATISSIMÆ, NAVIGIJ SUI CINOSVRÆ,

LUCIDISSIMO ORBIS ACADEMICI PHÆBO

DIVO JOANNI CANTIO,

Sacræ Theologiæ Doctori & Professori Regni Poloniæ, & Vniversitatis Cracoviensis PATRONO,

NEO--CANDIDATI APPENDUNT EPIGRAPHEN

Hoc Duce portum nostræ tetigere Carinæ.

DUm ratem ponto damus & procellis,
Vela dum ventis minimè secundis
Pandimus, cuncti tremimus pericla
Mille videntes.
Quis precor nosmet medijs locatos
Syrtibus tuto statuet fluento:
Nemini nostram potiùs salutem
Credimus Omnes.
Quam Tibi sydus Patrium Lechæi,
Orbis in Cælo jubar Alme CANTI
Et potens undis, superevagantum
Phæbe laborum

Ipſe Te noſtris dare jura ventis
Exhibes, longè removendo flammam,
Nube ſublimi varièq; ſparſim,
Colligis æquor.
Nauta committit pelago phaſellum
Tutus, & ridet Tethios procellas,
Quem manu forti placidisq; Doctor
Protegis ulnis.
Aleæ fati veniant, velintq;
Fluctibus naves agitare noſtras.
Dive ſed CANTI, ſtabilem tenebunt
Te Duce portum.
Summa ſunt in Nos Tua gratiarum
Dona, quæ grato canimus cothurno
Orbe quæ toto Tibi conſecrata
Pectora vulgant.
Novit has laudes ſpatioſa Lechi
Terra, tum gentes Aquilone preſſæ.
Plaudit & Romæ populus Togatæ
Laude JOANNIS.
Nam ſtupent per Te Craciam Minervam,
Jam diu pulchris renitere lauris,
Sceptra tum nullam cariem ſubire
Neſcia frangi.
Unde nunc Aris calet innovatis
Flamma votorum, redolentq; mentes
Jure ſacrato. Tenet illa ſi Te
Cura Clientum
Dives ad Claſſem facilem, ſiniſtris
Ire trans æquor nova vela ventis
Impedi, ſic Te Duce, laureato
Littore ſtabunt.

PER-

PERILLUSTRIBUS CLARISSIMIS & EXCELLENTISSIMIS DOMINIS.

D.D. EXAMINATORIBUS.

Perillustri Clarissimo & Admodum Reverendo Domino,

D.M. MATTHÆO KOLENDOWIC,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Ecclesiarum, Collegiatæ S. ANNÆ Crac: Archidiacono, in Zebrzydowice Præposito, Tratnoviano & Tylicianæ Eloquentiæ Professori, ac protunc Artisticæ Facultatis DECANO.

Clarissimo & Excellentissimo Domino,

D.M. STANISLAO FILIPOWITZ,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, ejusdemq; Regio Matheséós Ordinario Professori, Strzałkoviano Iuratoq; GEOMETRÆ.

Clarissimo & Excellentissimo Domino,

D.M. FRANCISCO ZABICKI,

Philosophiæ Doctori & Professori, Collegæ Minori.

In vim debitæ gratitudinis
APPENDUNT EPIGRAPHEN.
Spirantibus Sapientiæ Austris.

NOn ipse tantùm prælia ferreus
Gerit Gradivus: non pelago truci
Miscet procellas: non Tyrannus
Vulneribus tenet ipse terras.
Per bellicosæ rura Propontidos,
Vndas per omnes regna fluentia,
Avdire Martem cesset Orbis
Nec Dominum Sua jura dantem.

Pavescat, ultra neq; potentiam,
Adscribat ipsi, sunt & inermibus
Naves Lycæis: sunt carinæ,
Æquora sunt operum laboris.
Vastiq; fluctus; ausibûs ingenî
Et quos laboris remigio probi
Scyllas latrantes per Charybdes
Palladij documenta nisus.
Tranare multi: cum violentius
Certata rixis, grandis inhorruit.
Frontes in Heròás procella,
Continuans sine clade pugnas.
Aût sic tenellis fons Heliconius
Decrescit undis; quin capiat rates?
Possitq; lentum murmur amnis,
Velivolis bene stare ventis.
En quos procellis naufraga mens rapit,
Illos beatas pellit ad Insulas,
Latè Camenæ dum retexunt,
Æquoreis mare penè Gazis.
Tales profundi dum satur æquoris
Transcendit undas, littora flagitat
Iam nauta securus: futuris
Sæcla dabunt documenta multa.
Quàm se lucroso porrigit alveo,
Exundat altum quàm Sapientiæ,
Nec sorbet Eurippus Cloanti
Fluctibus ingenium æstuosis.
Ergo triumpha classis ab arduis
Descendis undis. Sed quis in Inclyto
Sudore ductor? Te ne dicam,
Plausibus excipiende multis.
Doctissimarum prima cohortium,
Lux: magne Tulli! mens sacra Palladis
Excelsa Majestas Lycæi,
Purpureis humeris & ostro.

Prin-

Princeps Stagyræ! Tu mare temperas,
Fervens laborum: quô Iagielonia
Ductore classis & Iuventus,
Explicuit sua signa latè.
Ibis per ævum, magne KOLENDOVI,
Dum docta quidquid composuit manus,
Par laudis excelsæ Virorum
Sæcla legent, relegentq; nomen.
Ac Te Telonem puppis in arduo
Servator! ingens syderis indoles?
Quâ laude dicam? cujus omnes
Auspiciô potiore stamus.
Tu FILIPOWITZ syderis in loco,
Sis ipse nobis; quale Cleantico
Cursu biennali per æquor
Posna videns, stupuit sacratæ
Tot dona mentis, posse modestiæ
Servare fines: juncta laboribus
Cûi vita, præsignisq; candor,
Nobile sat poliere pectus.
Tuo laborat Navita nomini,
Nostræ ZABICKI gloria Palladis,
Et vela pandit per Tuarum
Mentis opum, facilesq; semper
Virtutis ausus. Te coluit diu
Lubrana Pinus, Nestora Te Sophum
Plaudendo, laudes dat venustas,
Et nimios animi labores
Narrat; triumphans pectore quos Tuo,
Deprælatrix unica mentium
Virtus lacessat: ô lucrosæ
Meta spei pretiumq; curæ.
I quo potenti remige dextera,
Hoc literarum Numen agit triplex.
Et disce dona gratiarum
Sæpè pio recinenda metro.

Coeer. AN-

ANCHORA

Prodromas laureati honoris Naves
Ad Promontorium bonæ ſpei

SISTENS.

II. V. D. ANTONIO DZIANOTTY, Crac:
Argo, quâ Jaſon & Tiphys profecti ſunt Colchos, ad capiendum aureum vellus.

CVM LEMMATE.

Quô fortuna vocat.

PEr Mare præclaros ad Colchos tendit Iâſon,
Vt ferat auratæ nobile vellus Ovis.
Non illum Syrtes terrent, graviorq; Charybdis,
Tangere nec prohibens Phrixea dona draco.
Tendit quò fortuna jubet, quò ſydera ducunt,
Siſtat ut optato, littore tuta ratis.
Sic DZIANOTTY præſtans es, tum fauſtus Iâſon,
Dives cùm docti vellus honoris adis.
Nil obſtant caſus, nil ſumma pericla laborum,
Curris ut in portu, ſit Tua fama decus.
Pro velis ſtudium, pro remis candida virtus
Eſt Tibi, ſic citiùs littore laudis eris.
Flumina non deſunt, fluido torrente recurrunt,
Dum tereti Cineas, promis ab ore roſas.
Te Phæbum, Muſasq; decens commendat acumen,
Dum promptè ſolvis, dogmata cuncta Sophûm.
Ergò quò fortuna vocat, Tua Cymba feratur,
Portus ei fiat, celſus honoris apex.

III. V.D. SIMONI BABISKI, Crac: Damena, Navis rotunda in Samo, primùm à Policrate ædificata.

CUM LEMMATE.

Nocte dieq; feror.

ROmani cessate Viri jactare carinam,
De cujus puppi Phæbo gratissima laurus
Explicuit ramos, ut ab illis omen haberet
Roma triumphorum, meliùs Tibi Cymba BABISKI,
Augurium Damena tulit, cùm laurea serta
Temporibus concessa Tuis advexit ovando.
Quæ meruit virtus, quæ semper pulchra laborum
Exposcit series, ut doctâ fronte virescant.
O labor, ô virtus, quam præmia tanta seqvuntur,
Ingenium natura Tibi formavit ab arte.
Cernimus excultum, sunt omnia digna videri,
Nocte dieq; simul, Phæbe impallescere libris
Te videat, Musæ curas pensare studebunt.
Quarum sub lauru, felix ubicunq; triumphes,
Alta tenens laudum, virtutis præmia justa.

IV. V. D. ADAMO CHOROSZEWICZ, Horia Navis Piscatoria.

CUM LEMMATE.

Congregat ex omnibus.

DEscende Cælo curre per æthera,
Regina Montis Pierij decus.
Plausus canoros occinendo
Seû Cytharâ fidibûsve Phæbi.

Hos grata virtus, hos ſtudium probat,
Hinc ſemper amplis laudibûs eminet,
Semper CHOROSZEWICZ meretur,
Vt tribuat ſibi Muſa plauſus.
Hunc longa doctæ fama ſcientiæ
Adornat, ingens & gravitas decet,
Qvâ vincit illæſos Catones,
Qvâq; viget pretium Mineruæ.
Conſcende quarè lauriferam ratem,
Tuis probatis quæ meritis datur,
Per æquor immenſum laborum
Ad cumulos properes honoris.

V.V.D. STANISLAO KORCZYNSKI,

Lembus, Navis omnium velociſſima, à Cyrenenſibus primùm ſtructa.

CUM LEMMATE

Propere & proſperè.

VIrtus ſpernit humum, ſtelligeras domos
Explorare ſolet, vel pelagi vada,
Inter circuitus atq; pericula
Neptuni, ut pateat magìs.
Lembô fluctivagô ſic probitas Tua
STANISLAE ſtetit, vellus ut aureum
Doctrinæ caperet, laudis adoream
Quærens pro meritis Tuis.
Mentis doctiloquæ dotibûs inclytîs
Reſplendes nitidè, promptus ad omnia.
Hinc Te docta Sophum, iam Schola præcinit,
Florens eſſe decus ſui.
Tantas mentis opes DASZCZYNIVS uidens,
Dignas Aoniâ ſtringere cenſuit
Lauru, quæ meritis germinet indies,
Laudes atq; decus novum.

VI.

VI. V.D. JOSEPHO CYANKIEWICZ.

Liburna. Navis bellica,

CUM LEMMATE.

Pericula ludit.

MAgnanimus miles vitam cur hostibus offert,
Nam victis pulchrum, sperat ab Orbe decus.
Gloria cùm quævis, solâ virtute paratur;
Nil unquam nobis, absq; labore venit,
Accipit Alcides famam, Nomenq; perenne,
Sed dedit hoc illi, quem tulit ante labor.
Sicq; CYANKIEWICZ consvêsti ferre labores,
Iure Tuum cingunt, laurea serta caput.
Moribus egregijs renites, virtute coruscas,
Quæ mortale genus sola vigere facit.
Te celebrat pernox studium, quô vincere durum
Nôsti permagnis, ausibus alta petens.
Exemplis operum præstas, & Palladis arte,
Pro meritis cedit, bellica cymba Tibi.
Ista ratis credas, adversa pericula ludit,
Ergò mihi quovis tempore tutus eris.

VII. V.D. HYACINTHO JUSZCHIEWICZ.

Centaurus, Navis maximæ in omnibꝯ magnitudinis

CUM LEMMATE.

Tanto pondere tuta.

PEr maris syrtes, ratibusq; sæva
Saxa, quòd tutæ tetigere naves
Margines: sertis decorabat illas
Prisca vetustas.

Magna Centaurus meritis Tuis, en
IVSZCHIEWICZ fertur: pelagi perîcla
Ridet, audendo procul ire tanto
Pondere tuta.
Cùm petas laurum ſocio labore,
Serta cùm ſudans capiti requiras,
Palladis pulchrâ renites coronâ,
Atq; corymbîs.
Dotibus pulchrîs poliendo mentem,
Semper intenſô ſtudiô ſub altum
Verticem tendens, ſapiente ſiſtis
Culmine felix.
Hinc venit ingens Tibi navis iſta;
Vt procul velis operum propulſa,
Semper ad portum placidum perampli
Currat honoris.

VIII. V. D. ANTONIO OLSZYNSKI.

Navis Minervæ ſacra, quercu Dodoneâ facta.

CUM LEMMATE

Hâc ſemper Tripodem.

EXcedas pelago victor, & arduis
Ceſſa mille laboribus.
Fert illuſtre ſatis prodigus alvei
Ganges fert pretium Tibi.
Sternit ſe rutilans Hebrus, & effluas
Tot ſudore genas Vîrum.
Non parcè decorat mercibus inclytis:
Sed quam in retia navitæ
Ejecit Tripodem Chio faventior;
Felix OLSZYNII feret
Hæc Dodona ratis. Mens ſapiens Ei,
Nam cortina latentium;

Quæ

Quæ raró capiunt, sæcula quæ tegunt,
Constantî studiô legit.
Sic doctis patiens Palladis usibus
Vultu dictat Apollinem.
Hic quâ fronte latet tempora complicat
Lauru, sub pretium Viri.

IX. V. D. MARCO KARGOLOWSKI.

Navis oneraria, variîs mercibûs plenissima.

CVM LEMMATE.

Per varios casus.

NAuta ô felix Sapientis undè
Palladis supra vada KARGOLOWSKI!
Gaza quid dives Thetis in profundo
Æquore servat.

Quam Tuæ navi spolio venusto
Lege nunc cessit: superas metalla
Mentium, cunctos præeundo dote
Ingeniosâ.

Sedulîs æther Tibi servit horîs
Nesciâ somni vigilando nocte,
Non lacertosum refugis laborem
Otia spernens.

Ausibûs felix animi potentis
Clárus, & doctæ studijs Minervæ
I coronatâ rate per suprema
Merce beatus.

X. V.D. JOANNI KROLIKOWSKI.

Corbita, navis tarda & grandis.

CVM LEMMATE

Juvat ire per æstus.

FOrtis KROLIKOVI marginis accola!
Pelides operum, quem ſtudium bonis
Par, curæ ſimiles, & labor improbus
Æquat. Tu ſocijs ponis in æquore
Antennam pretij, ſemper amabile
Audentûm ſpecimen; quale juvat Viros
Virtutis memores. Hinc Tua dulcitèr
Evolves operum, mentis anhelitum
Præſignes meriti qui decorat genas,
Et pulchrè docili fulgurat indole;
Aurô Te rutilô frontis amænior
Morum temperies, & probitas decet.
Quare doctivaga remige navium
Audax ipſe comes tramite gloriæ
Dux virtutis eas. Te colat altior
Magnæ laudis apex jure modeſtiæ.

I. V. D. ANDREÆ NECHREBECKI.
Ejuſdem Laureæ Candidato.

AVTHORI OPERIS

In argumentum mutui affectûs

V. D. ANTONIUS DZIANOTTY,

Navim Magellanicã, cui Victoriæ cognomen, quòd totius mundi ambitum emenſa eſt, inſcribit.

CUM LEMMATE

Æmula ſolis.

SAt Ponto pugnæq; datum, jam membra draconis
Inſcitiæ monſtroſa jacent: jam ferre potentem
Ad majora juvat dextram: cùm functa labore
Affigit arma tholo miles, reduciq; carinâ

Littore

Littore gestit ovans. sed quæ potiora triumphi
Colligit illa Tibi pugnas aususq; docenti
Scribit in electro: o Hector! duxq; laborum
Es NECHREBECKI! quem splendor Nomen Avitum
Et quem fama colit. nam quæ dignissima Craci
Hæc, & pars excelsa Domûs. quid celsiûs altis
Musa brevis referam: Te laudis culmine stare;
Quo WĘGRZYNOVII figunt vestigia summa.
Alter gemma Domûs pretiumq;, Corona Vavelli;
Vrbis amor, Consus felix pro Civibus alter;
Quid celsum virtute sua, quid sanguine magnum
Adijciunt: hæc Te circumstat gloria semper.
O decus! ô laudis munus! quô mentis honore
Vis donare Virum! pulchro se fædere jungunt
Dos animi, morum gravitas, studiosa modesti
Temperies: nôsti sapiunt quæ Pallada tantum
Hæc animi postquam vidit fastigia celsi
Aula Domus Magnæ, Thesauri conscia Regni.
Hinc pretium pretio temet superaddere duxit.
Sed tamen ad nostræ decurrere vota Minervæ
Debes, quô pulchrô cinget Tua tempora sertô:
Hoc rutilus dono tandem sociatus honori
Culmina transcendas famæ, tum secla triumphes.



Sub Felicissimis Auspicijs,

Magnifici Perillustris & Admodum Reverendi Domini,

D. M. MARTINI WALESZYNSKI,

S. Th: Doctoris & Professoris, Collegæ Majoris, Ecclesiarū Collegiatarum; S. FLORIANI Clepardiæ ad Crac: Canonici, Siradiensis Cancellarij, Scarbimiriensis & S. MICHAELIS in Arce Crac: Custodis, Montis S. GEORGII in Scepusio Præpositi, Canonizationis B. IOANNIS CANTII Procuratoris, Ordinarij Librorū per Diæcesim Crac: Censoris, Scholarū Novoduorscianarū & Contubernij Hierosolymitani Provisoris, Studij Almæ Vniversitatis Crac: Generalis ac Vigilantissimi

RECTORIS.

XX. 1. 2

Biblioteka Jagiellońska
stdr0023721